

## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCÆ V.

In illo tempore, cum turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth et vidit duas naves stantes secus stagnum. Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Ascendens autem in unam navem, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum; et sedens, docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

### CONCIONES.

- I. Historia naviculæ Petrinæ, typus Ecclesiæ catholicæ.
- II. Piscatio evangelica quomodo fieri debeat.
- III. Quam frustra laborent sectatores mundi.
- IV. Causæ cur tam pauci convertantur per verbi Dei prædicationem.
- V. Quomodo sæcularis quisque perfectus esse queat ac debeat.
- VI. Examini conscientiæ quotidie faciendi incitamenta et ratio.
- VII. Sacerdotes sanctos esse debere.
- VIII. Quæ suspectam faciunt sectam nostrorum hæreticorum et falsam ostendant.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

### CONCIONES AUCTARIL.

- I. Præstantia et necessitas verbi Dei.
- II. Exceptiones ob neglectum verbi Dei refelluntur.
- III. Filii hujus sæculi quantum laborent nihil capiendi.
- IV. Stimuli ad christianam perfectionem quærendam.
- V. Industriæ, quibus multa et magna merita non multo labore comparari queant.

### CONCIO I.

HISTORIA NAVICULÆ PETRINÆ, TYPUS ECCLESIAE CATHOLICÆ.

- I. In Ecclesia gubernator Petrus, ejusque successores. — II. In Ecclesia purum Dei verbum. — III. — In Ecclesia sunt miracula vera non dæmoniaca. — IV. In Ecclesia unum visibile caput. — V. Ecclesia ducitur in altum. — VI. Ab Ecclesia

fides undique propagata. — VII. Ab Ecclesia discedunt hæretici. — VIII. Ecclesia habet vocationem et subordinationem ministrorum. — IX. Ecclesia fluctuat sed non mergitur.

### THEMA.

Ascendens in unam navem, quæ erat Simonis, etc. Luc. V.  
Quando Deus Moysen mittere volebat in

Ægyptum (Exod. III.) ut esset dux populi Hebræi in egressu ejus de Ægypto ad terram promissionis, prius per figuram ostendit illi typum populi quem rectorus erat, necnon regiminis ejus. Primo enim, ostendit illi rubum, qui ardebat, sed non comburebatur; et hic significabat populum Hebræum, qui sub Pharaone ab Ægyptiis quidem urebatur flagellis et oneribus, non tamen delendus erat, sed ita potius roborandus ut per multas et varias plagas puncturus et vulneratus esset Ægyptios, a quibus tunc vexabatur. Rursum, cum hoc munus Moyses detractaret aliud ei signum ostensum est, Exodi IV. Virga enim quam gerebat abjecta, mutata est in serpentem, resumpta rursum virga fuit. Quæ res significabat, ad litteram quidem, eundem illum populum, qui sub Pharaone velut serpens erat exosus et abjectus, sub manu vero et imperio Moysis, recuperaturus pristinam libertatem et dominationem. Symbolice notabat ducatum et potestatem Moysis, qua Ægyptios percussurus et puniturus, Hebræos vero ducturus et gubernaturus erat; ita ut virga illis Ægyptiis esset serpens, Judæis vero baculus pastoralis. Haud absimili ratione Christus in hodierno evangelio Petrum designaturus pro supremo populi sui duce et pastore, signum ei exhibet miræ piscationis, et per illud simul non obscure ei proponit typum futuri ejus regiminis et Ecclesiæ quam capturus ad vitam æternam ac rectorus erat. Etenim si, quæ in hoc miraculo facta sunt, accurate expendantur, præsignasse futurum Ecclesiæ statutum, manifeste deprehenduntur, uti nunc patebit.

I. Christus ascendit in unam navem, quæ erat Simonis, non in alteram, quæ justa illam erat. Non frustra aut fortuito id fecisse credas Dominum. Nimirum indicare voluit, in sola ea Ecclesia, quæ Petri ejusque successorum gubernio est concredita, sese inveniendum. Ita enim S. Ambros. serm. XI. ait: *Hanc solam Ecclesiæ navem ascendit Dominus in qua Petrus magister est constitutus*; unde pontifex Romanus, in annulo et sigillo suo gerit naviculam cum navarcho Petro. Navis altera falsam religionem significat, quæ non nominatur, nec cujus fuerit dicitur, quia nullo apud Deum loco sunt qui extra Ecclesiam sunt. Multæ ejusmodi naves circumstant hujus mundi stagnum, hic navis Lutherana, ibi Calvinistica, alibi Hussitica, alibi Ariana, etc. quæ omnes vocant ad se populum et promittunt se in cælo secure appulas, sed tu si securus esse velis, in eam scandere navem, in quam ascendit Christus, quæ nimirum regitur a Petro ejusque successoribus Romanis.

Nec frustra dicitur una, qui oportet Ecclesiam Christi unam esse, tum quia est unica Christi sponsa qui non est bigama (Matth. IX. et Cant. VI.) tum quia: *Unus Dominus, unum baptisma, unus Deus et Pater*, 1. Corinth. XII. et Eph. IV. tum quia maximo consensu et concordia doctrinæ et fidei omnia illius membra quantumvis multa longe lateque per orbem dispersa inter se et cum capite suo Christo in unum corpus arctissime sunt connexa; id quod orando petiit Christus, Joan. XVII. *Pater serva eos, ut sint unum sicut et nos*. Unde gravissime errant, qui credunt se in quavis fide salvos fore: errant et Calvinistæ, e quibus modo Puritani cum Formalistis in Anglia, modo Gomaristæ eum Armenianis in Hollandia velut infensissimi hostes diris modis digladiantur: errant et Lutherani, siquidem et ipsi de gravibus fidei fundamentis inter se, ab exordio suæ sectæ usque in hodiernum dimicant. Nec unquam coire in pacem possunt, quamdiu visibili capite et supremo controversiarum iudice, qui Concilia cogere et litibus finem imponere queat, carent; quamdiu ex proprio cerebro interpretantur Scripturam.

II. Ex hac nave Christus docet populum; et quidem *sedens*, id est, perpetuo, sine intermissione, per suos prædicatores. Quia in sola nave Petri seu Ecclesiæ Romanæ, purum Dei verbum omnibus sæculis prædicatum est; siquidem nos ostendere possumus doctores fidei nostræ per omnia sæcula a tempore apostolorum ad nos usque. Nulla vero id secta potest.

In ea etiam sola lota et munda sunt retia sacerarum Scripturarum et ss. dogmatum. Cæteræ enim sectæ Scripturas corruerunt, et dogmata impuratum sordibus referta habent: uti alibi diximus.

III. In Petri navicula confirmat Dominus sermonem suum miraculo capturæ piscium. Ita in Ecclesia prædicatio evangelica semper et omnibus sæculis confirmata fuit miraculis, ejectione dæmonum, suscitatione mortuorum, spiritu prophetiæ, etc., idque necessario fieri debet, cum nova aliqua doctrina afferatur ad novam religionem introducendam. Si enim litteris testimonialibus fides non habetur nisi appensum sit sigillum: multo minus habenda est fides evangelio novo, nullo confirmato miraculo, quia cum pleraque fidei mysteria superent intellectum nostrum, naturalia argumenta non sufficiunt nobis ad ea confirmanda, supernaturalia requiruntur. Hinc de apostolis, Marci XVI. dicitur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis*: et paulus de se II. Cor. XII. ait: *Signa apostolatus mei facta sunt*

super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus. Igitur apostoli ubique sigillum hoc ostendere, eoque doctrinam et missionem suam probare debuerunt, alioquin et temere fidem exegissent, et nemo prudens eam dedisset. Modo in Ecclesia catholica miracula quam plurima singulis contigere saeculis, uti passim in sanctorum historiis et regnorum annalibus patet, quae si conficta, aut ope demonum facta esse quis velit dicere, totus mundus reclamabit, qui ea semper pro miraculis veris et ope Dei patris agnovit, multis et efficacibus argumentis ad hoc motus.

Nam primo, plurima eorum a ss. viris scripta S. Gregorii Thaumaturgi a S. Greg. Nysseno et S. Basilio Magno de Spiritu sancto, c. XXIX. S. Antonii a S. Athanasio; S. Benedicti a S. Greg. Magno; S. Hilarionis a S. Hieronymo; S. Malachiae a S. Bernardo; S. Francisci a S. Bonaventura, de quo dixit S. Thomas: *Sinamus sanctum pro sancto laborare*. Recentiorum miracula accuratissime comprobata sunt, et publicis instrumentis confirmata. Num tanti viri in re tanta fumos vendiderint, in rebus fidei? Secundo a nullo adversariorum sunt scriptis refutata vel reprobata. Tertio, alias omnes historiae rejiciendae sunt.

Secundo, non fuisse daemoniaca patet; primo, quia a ss. viris patrata: secundo, quia multa superant demonum potestatem, ut mortuos suscitare: tertio, quia perseverarunt; daemoniaca autem non durant: quarto, si haec facit daemon ad retinendos in perfidia catholicos, cur non eadem facit aliis haereticis, si et catholici sunt haeretici? Contra vero novatores ne unicum proferre miraculum possunt, quo fides eorum confirmari queat. Nisi miraculum sit vivum enecare, ab obsessio in angustias redigi, vel populos ventri deditos pervertere brevi temporis spatio ad eam religionem, quae libertatem carnis et fomentum vitiorum alit, vitae sanctitatem et austeritatem excludit.

IV. In hac unus est navarchus Petrus, cui soli dicitur: *Duc in altum*, solus rogatur ut navem a terra reducat. Ita in Ecclesia unum supremum et visibile caput est et esse debet, Petrus seu successor ejus. Quemadmodum enim in navi unus supremus gubernator esse debet, alioquin merae discordiae forent, et certus immineret interitus; ita et in Ecclesia, ubi non est supremus aliquis gubernator, necessario oriuntur innumera schismata, nec consistere ejusmodi regnum in se divisum potest. Sed quemadmodum vulpes Samsonis caudis colligatae et captibus divisae segetem Philisthinorum vastarunt: ita et religio illa quae non unum tantum, sed singula habet capita, vel

nullum, omniapessumdat; dum unus ita, alter aliter Scripturam exponit, et contendit exponendam, adeoque sibi quisque iudex est in fidei controversiis. Hoc itaque praevidens Christus, unum Ecclesiae caput et supremum pastorem ac iudicem controversiarum constituit Petrum, cui speciatim claves regni caelorum et oves suas pascendas tradidit et assistentiam promisit, idemque in hoc evangelio typo quodam praesignavit, cum dixit: *Duc in altum*: et post: *Ex hoc jam eris homines capiens; capiens*, inquam et non perdens.

V. Haec navis duci jubetur, et ducitur a Petro in altum; primo, in caput mundi Romam, ut inde se Ecclesia et fides Christi in omnia orbis membra (ex omni enim natione reperi ibi homines) facilius insinuaret, seu uti S. Leo, serm. 1. in natali SS. Petri et Pauli, ait: « Beatissimus Petrus princeps apostolice ordinis ad arcem Romani destinatur imperii ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. » Nimirum uti turris Pharos prope Alexandriam navigantibus et appulsuris portum monstrabat; ita Roma Ecclesiam. Et quis non adseribat singulari Dei providentiae, quod Roma caput orbis pontificis tandem facta est, nulla vi aut armis?

Secundo, in altum, id est, vitae perfectionem, ad quam ducit Ecclesia, juxta verbum Christi. Hinc in ea semper innumeri fuerunt, qui per voluntariam paupertatem, castitatem, obedientiam consilia evangelica secuti sunt, ad quae invitavit Dominus juvenem illum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, etc.*, ut ostendunt tot ordines et religiones, in quibus Deo soli servitur die ac nocte. Contra sectae aliae maxime nostri temporis nunquam in altum ducunt: quia non modo consilia evangelica non sectantur, aut sectanda suadent, sed etiam horrent et dissuadent. Nemo unus apud illos reperitur, qui possessionibus suis et honoribus renuntiet, et paupertatem atque humilitatem amore Christi sectetur: qui carnis voluptatibus abjuratis, virginitatem loveat aut servet virtutis causa, vel alterius se voluntati subiciat. Imo haec omnia illi subsannant et condemnant; et si quis eorum pastor non sit uxoratus, suspectus habetur apud ipso de fide catholica.

Tertio, in altum, id est, remotissimas mundi regiones ad fidem propagandam et gentiles convertendos. Hoc enim Ecclesia catholica fecit omnibus saeculis, dum passim emissi praedicatores in omnes terrae angulos, et nostri temporibus in orbem novum, ob longinquitatem prius incognitum. Cum contra ministri haereseon domi suae resideant quasi ad littus, nec

unquam egredi videantur in remotas nationes ultra maria ad docendas gentes, sunt enim commoditates tantum pro hoc saeculo, non aliorum salutem quaerunt.

VI. In hac laxantur retia ad capturam et capiuntur innumeri pisces omnis generis: ita in Ecclesia catholica laxata sunt retia evangelicae praedicationis per universum orbem. Siquidem: *In omnem terram exiit sonus eorum*, et fides undique propagata est, captique ex omni natione plurimi gentiles, imo quotquot ad fidem conversi sunt, ab Ecclesia Romana conversi sunt. Elapso XV. saeculo conversi sunt, et convertuntur adhuc innumerabiles Indi, orientales, Japonenses, Chinenses et qui novum incolunt orbem, neque archiepiscopus Russiae et patriarcha Alexandrinus, schismatici, beneficio Clementis VIII. saeculo XIV. conversi sunt a S. Vincentio Ferrerio ad viginti quinque millia Judaeorum et Saracenorum, teste D. Antonino, in hist. saeculo XIII. Tartari quam plurimi per duos patres Dominicanos a summo pontifice missos, teste Paulo Veneto: saeculo XII. Norwegi ab Eugenio III. et Hadriano IV. teste Ranulpho, l. VII. c. XXII. et Platina, in vita Hadriani IV. saeculo XI. Hungari, plerique ad instantiam S. Stephani regis sui, testibus ipsis centuriatoribus, cent. XI. c. II. saeculo X. multa regna conversa sunt opera S. Henrici, imperatoris Adalberti Bohemorum, et Methodii Moravorum, episcoporum, centuriarum testibus, cent. X. c. II. saeculo IX. Daniae regnum opera Agapiti II. teste Saxo, l. IX. hist. Dan. item Bulgaria opera litteris et admonitionibus Nicolai I. teste Platina, in vita ejus: saeculo VIII. Germani plerique a S. Bonifacio, misso a Greg. II. et III. teste Baronio: saeculo VII. Franci orientales, modo Francones opera S. Kiliani missi a Romano pontifice: saeculo VI. Angli per Augustinum et socios monachos, quos emiserat S. Greg. papa I. ideo Anglorum apostolus vocatus a Beda: saeculo V. Britannia et Scotia beneficio Coelestini, qui eo miserat Palladium, Sabell. Ennead. VIII. l. VII. Baron. ann. 429. Quis recenseat alias quam plurimas nationes Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Frisiam, Westphalam, Franciam, etc. quae omnes per Romanae Ecclesiae filios praedicatores Servarium, Eligium, Rumoldum, Aman-dum, Vedastum, Livinum, Rhemigium, Villebrordum, Suitbertum, Vulframum, Ludgerum, et alios conversae sunt ab infidelitate ad fidem, a vita barbarica ad civilem: contra ab haereticis, praesertim nostris, nulla infidelium regna unquam sunt conversa neque etiam illi studuerunt aliquando gentium conversioni, sed vel propriis commoditatibus, uxoribus et liberis

ac ventri: vel fidelium tantum perversioni. At hoc non est capere pisces, sed captos eripere et libertati restituere. Unde verissime dicere possumus, pisces omnes ab Ecclesia tantum Romana captos esse; nullos omnino a sectis, haereticorum. Neque ab Ecclesia dumtaxat, sed et a Petro, ejusque successore summo pontifice, tamquam principali piscatore, qui per cooperatores suos totum cepit mundum.

VII. In hac rumpitur rete ob piscium multitudinem. Ita cum Ecclesia catholica crevit numerus fidelium, necesse fuit in tanta multitudine rumpi interdum rete, et fieri scissuras ac schismata, juxta id apostoli, 1. Cor. XI. *Oportet haereses esse*; considerata nimirum hominum inconstantia, dissimilitudine curiositate, etc. maxime in tanta multitudine. Sic enim in magna aliqua familia oportet esse odia, simultates et lites inter tot diversa famulantium ingenia. Itaque quotquot haeresum auctores fuere, ab Ecclesia discessere, scindendo ejus rete. Nimirum ob impatientiam disciplinae, religionis, praceptorum, etc. angustiari se sentiebant; quas angustias ut evaderent, rete disciderunt. Angustiae nimirum erant regulae ordinum, canones Conciliorum et pontificum, praeccepta Christi Domini, etc. ideo exitum quaesierunt, et quomodo existimas? Perroserunt rete S. Scripturae, partim delendo quae non placebant, partim apponendo quae placebant, partim sensum depravando, et juxta libitum eam exponendo. Hinc foramen fecerunt, per quod eos secuti sunt, quotquot vicinissimi fuerunt, hoc est, inclinati ad eandem libertatem, quae est hujus mundi mare periculosum. Neque nimirum esse debet oriri subinde in tanta multitudine schismata et haereses. Illud vero mirum, oriri etiam inter haereticos illos, qui paucissimi sunt in uno orbis angulo. Qui ab Ecclesia discesserunt, perierunt ipsa persistente: sed haeretici dum inter se dividuntur in sectas, parem omnes interitum sortiuntur, nulla triumphante.

VIII. Haec annuit sociis, ut veniant et adjuvent eam in captura. Ita Ecclesia Romana legitimam habet vocationem ministrorum, et debitam subordinationem: necnon subjectarum Ecclesiarum communionem. Quemadmodum Jerosolyma princeps erat urbium Hebraearum, sic Roma christianarum. Quisquis ergo catholicus est, Romae, id est, Romano pontifici consociari debet. Unde S. Hieronymus ad Damasum, ep. LVIII. ait: *Si quis cathedrae Petri jungitur meus est*. Inde etiam antiquis patribus Romanum id erat, quod catholicum Hieronymo in apol. adversus Ruffinum, Ambrosio, in oral. de obitu fratris; Theodosio imperatore, in epist. ad Acacium Beroensem, ubi ait: *Decet vos pro-*

batos sacerdotes esse Romanæ religionis, imo et veteribus Arianis apud Victorem Uticens. in persecut. Wandal. Similiter quisquis in Ecclesia Christi vult piscari, a Petro et ejus sociis ad hoc vocari debet, non a magistratu sæculari vel populo, qui nullam ad hoc auctoritatem accepit. Petrus ad piscandum vocatus est a Christo, socii Petri a Petro, qui in alia navi procul existebant vocati sunt a sociis Petri: in Ecclesia episcopi vocantur a pontifice, prælati et parochi ab episcopis.

IX. Hæc navis pene mergitur, id est, periclitatur, nequaquam tamen submergitur. Ita et Ecclesia Romana fluctibus agitari potest, mergi omnino non potest, quemadmodum scripsit ad imperatorem Turcarum Pius II. papa: *Niteris incassum Petri submergere navem: fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.* Apparuit hoc primis tribus sæculis, quibus in tot tyrannorum persecutionibus non modo non submersa, verum etiam exaltata magis est Ecclesiæ navis, velut illa Noetica in mediis aquis diluvii. Apparuit circa annum 500. ubi Anastasio imperatore Eutychiano, regibus Italiæ, Hispaniæ et Africæ Arianis, regibus Francorum, Anglorum, Germanorum, paganis, viguit et perstitit: apparuit circa annum millesimum, quo tempore nulli scriptores illustres, nulla Concilia, pontifices parum de rep. solliciti fuere, nec tamen pessum iit Ecclesia, siquidem tunc divina providentia egit, ut nullæ surgerent hæreses novæ, et ut principes sæculi sanctitate florerent, veluti S. Henricus imperator cum uxore Cunigundæ, Romanus imperator Græcus, Canutus rex Daniæ et Angliæ, Stephanus rex Hungariæ cum filio S. Emerico, Robertus s. rex Francorum, Magnus Ferdinandus rex Castellæ et Legionis cum uxore sancta. Taceo incursus hæresum innumeros et acerrimos, quibus oppugnata quidem, non tamen expugnata est Ecclesia. Quod advertens Lutherus in hoc textu evangelii hodierno præ invidia, voculam *pene* omisit, quod in Græco textu, qui nunc habetur, non extet: sed extat tamen in Latino et Græcis veteribus. Et necessario pertinet; quis enim dicat naviculas illas omnino submersas esse? Annon hoc pacto Christus iterum destruxisse, quod miraculo edito prius ædificarat?

His ita constitutis judicet unusquisque, annon merito imprimis mirari, et obstupescere nos oporteat cum Petro, ob tam miram piscium capturam, seu Ecclesiæ incrementum, firmitatem, ordinem, etc. Secundo, annon merito flectere oporteat genua Christo ejusque Ecclesiæ Romanæ? Tertio, annon merito existimare debeamus, dictum esse cathedræ Petri: Noli

timere, etc. Denique, annon jure meritoque suspectam habere navim sectariorum, de qua nihil simile scribitur in evangelio?

## CONCIO II.

PISCATIO EVANGELICA QUOMODO FIERI DEBEAT.  
IN PRIMITIIS.

I. Mittant rete in dexteram. — II. Ducant in altum. — III. Non piscentur noctu. — IV. Laxent retia in capturam. — V. Non piscentur sine Christo.

## THEMA.

*Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens*  
Luc. V.

Nota est, auditores, historia Tobię illius junioris, qui ad fluvium Tigridis a piscatore se adoriente, confirmatus est ab angelo comite, ut apprehenderet brachiam ejus et traheret eum ad se, Tobię VI. Merito deberet perterritus fieri sacerdos novus et totus cohorrescere si accurate intueretur animas sibi committendas, capiendas et pascendas. Hæc enim animarum cura et sacerdotale munus terruit multos sanctos viros, ut partim fugerent sacerdotalem ordinem, partim munus pastorale. Verum adest in hodierno evangelio angelus magni consilii, Christus, qui trepidantem erigit et confirmat, dicens: *Noli timere ex hoc jam eris homines capiens*; docens insuper rationem apprehendendi piscem et piscandi. Hujus ego indignissimus servus mitti videor hodie ad confirmandum hodiernum neomystam, et pro modulo nostro docendum, qua ratione piscem illum apprehendere, et ita cum S. Petro magnam piscium multitudinem queat concludere. Poterunt interim et alii discere, quid sibi in simili faciendum sit.

I. Piscatores ergo animarum mittant rete ad dextram navigii partem, uti monuit Dominus, Joan. XXI. hoc est, habeant rectam intentionem cum fieri piscatores hominum volunt. Recta autem intentio est, collimare ad Dei gloriam et animarum salutem: sinistra, collimare ad opes, honores, gloriam vanam, quietem aliaque commoda: quæ ducit ad sinistram, judicis futuri, seu ad sortem reproborum. Et sicut discipuli nihil ceperunt, quoad miserunt rete in dextram: ita frustra laborant, qui ob temporalia tantum commoda fiunt sacerdotes et concionatores: *Piscatores hominum*, ait Dominus, *faciam vos*, non auri, vel honoris, vel quietis: et in hodierno evangelio: *Eris homines capiens*. Modo autem multi in hoc errant, ut prævidit apost. ad Phil. II. *Omnes* (id est plurimi) *quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Non sic faciebat ipse, ait enim, II. Cor. XII. *Non quæro*

*quæ vestra sunt sed vos.* Non ita antiqui illi et apostolici piscatores, quales adhuc optat S. Bernardus, epist. CCXVII. ad Eugen. Usurarii sunt isti, qui pro spirituali obsequio lucrum temporale quærunt, et sic amittunt æternum. Videant etiam hic plebei, ut in actionibus suis ad dextram colliment, quærant primo regnum Dei et justitiam ejus: deinde, gloriam Dei, non suam, in omnibus actionibus.

II. Ducant in altum. Primo, parati sint ad imperium superioris, etiam ad remotos ire populos uti fecerunt primi nostri Germaniæ apostoli, qui forte in sua patria tales non evasisent. Non hæreant tantum circa littus patriæ; in qua: *Nemo propheta acceptus*, teste Domino. Sic in altum duxit S. Xaverius et socii ejus, qui non acquieverunt donec gentiliū terras, quæ detectæ erant, omnes peragrarent et imbuerent evangelio.

Secundo, fervorem et zelum animarum habeant, quærendo etiam animas, adeundo pericula et compellendo intrare, si ipsæ nolint venire: sic enim Christus jussit Petrum eo duere navem, ubi erant pisces, non adduxit pisces. Talis piscator fuit S. Silverius papa quia in insula Pontia exul constitutus, scripsit ad Amatorem episcopum: *Sustentor pane tribulationis et aqua angustiarum: nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.* Quod reipsa probavit, cogendo ibi Concilium multorum episcoporum et discernendo quæ ad religionem et disciplinam ecclesiasticam pertinebant, ut in breviali S. Carolus Borromæus, qui ob valetudinis curam aut mortis etiam periculum, non dimittebat officium suum. Et quid non faciunt ac tolerant piscatores pro paucorum piscium lucro?

Tertio, perficiant se in studiis semper; nec contenti sint e litteris aliquid hausisse. Ut enim piscator novos semper piscandi modos excogitat et discit, et nunc retia texit, nunc reficit, nunc siccat, nunc nassas plectit, etc. ita faciat animarum piscator. Hac enim ratione et utiliter se occupabit et jucunde. S. Antonio aliquando tædio in eremo affecto et desideranti nosse quomodo salvus fieri posset, apparuit angelus, qui modo surgens plectebat corbes et laborabat, modo procidens orabat, tum dixit: *Sic fac et salvus eris.* Idem suadeo sacerdotibus, ut modo precibus et sacrificiis suis vacent, modo ad oves suas excurrant, modo ad libros recurrant.

Quarto, denique, vitam ducant perfectiorem, quam sit vita laicorum: iisque præeant bono exemplo et ad omnia pericula imperterriti sint; ad exemplum eorum sacerdotum, qui arcam gestantes suis humeris, primi ingressi sunt

Jordanem, et in medio ejus alveo constiterunt, licet minacissimæ eis impenderent undæ, donec universus populus transiit, atque ita primi et ultimi fuerunt in transitu Jordanis, Jos. IV. Sic et ipsi ferant arcam legis evangelicæ, non ore tantum, sed humeris etiam, exemplo præeuntes: nec paulum a terra, sed in medium alveum gerant, sublimiorem sectando vitam.

Videant etiam hic plebei, ut erga Deum liberales sint et plus faciant quam tenentur, si volent Deum erga se esse liberalem, et dare non sufficientem solum et communem gratiam, sed specialem et abundantem, quæ nos moveat.

III. Non piscentur noctu, id est, in statu peccati, sed videant ut semper sint in gratia; ne alioquin frustra laborent, et prædam suam mittant in vas pertusum, aut pisces capiendos abigant suo modo exemplo. Quid prodest araneæ de nocte telam texere, quæ mane mox cum ipsa ejicitur et conteritur? Sic continget malis pastoribus, qui licet multum laborarint pro salute aliorum, neglexerunt interim propriam. Veniet aliquando ancilla mors cum scopis, et dejiciet hanc araneam una cum textura sua.

Ad hæc gravi se scelere ostingent, si in peccatis sacramenta administrent. Ergo sicut olim veteris legis sacerdotes ignem in tabernaculo se semper fovebant, et nunquam extinguere patiebantur, Lev. VI. (quod et Vestales Rom. faciebant), ita sacerdotes foveant ignem gratiæ divinæ semper in corde suo, ac siquidem is aliquando peccato extingueretur, confestim reaccendere curent: imitentur hodiernos piscatores, qui de navi descenderunt et laverunt retia sua: descendant illi quotidie in fundum cordis sui et lavent rete cordis sui per examen conscientiarum.

Denique, neque in nocte ignorantie piscandum est; neque præsumant aliis ducatum præbere, qui cæci sunt, ne illos secum præcipitent: et si quidem in uno aut altero dubii sint aut perplexi, consulant superiores aut doctiores.

Videant etiam plebei ut ne bona quæ agunt, in statu peccati agant: sicque merito operum destituantur.

IV. Laxent retia sua in capturam. Primo, adhibendo suavitatem et discretiorem: hamus vulnerat pisces, non rete. Sic qui vult capere animas, non agat minis aut verberibus; sed obsecret, increpet, etc. hinc apostolus vult episcopum esse: *Non percussorem*, ad Tit. 1.

Secundo, laxent retia et distendant pro viribus, per charitatem omnes omni modo adjuvando et quærando, etiam sibi infensos et inimicos: communicando etiam temporalia.